



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

De solemnî ritu pœnitentiæ. Quæstio 28.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

pagandi est commissi; non habet causam, vt seipsum ad hoc prouocet: & ideo non potest facere indulgentiam sibi tantum, sed potest vti indulgentia, quam pro alijs facit; quia alijs subest causa faciendi.

Ad primum ergo dicendum, quod actus iurisdictionis non potest aliquis in seipsum exercere: sed eis que auctoritate iurisdictionis dantur alijs, potest etiam prelati vti, tam in temporalibus quam in spiritualibus. Sicut etiam sacerdos sibi eucharistiam accipit, quam alijs dat*. Et ita etiam Episcopus potest accipere sibi suffragia ecclesie que alijs dispensat, quorum effectus immediatus est remissio pœnæ per indulgentias, & non actus iurisdictionis.

in 3. p. q. 82.

Ad secundum patet solutio ex dictis*.

Ad tertium dicendum, quod excommunicatio profertur per modum sententiæ, quam nullus in seipsum ferre potest, eo quod in iudicio non potest idem esse iudex & reus. Indulgentia autem non per modum sententiæ datur, sed per modum dispensationis cuiusdam, quam homo potest facere ad seipsum.

in corp. art.

sup. q. 22 art. 4.

QVÆST. XXVIII.

De solemnibus ritibus pœnitentiæ, in tres articulos diuisa.

Consequenter considerandum est de solemnibus ritibus pœnitentiæ.

¶ Circa quod tria quaruntur.

¶ Primo, vtrum aliqua pœnitentia possit publicari vel solemnizari?

¶ Secundo, vtrum solemnibus pœnitentiis possit iterari?

¶ Tertio, vtrum publica pœnitentia imponenda sit mulieribus?

ARTIC. I.

108

Vtrum aliqua pœnitentia debeat publicari vel solemnizari?

Tho. in 4.

d. 14. q. 1.

art. 5. q. 1.

et seq.

** q. 11.*

art. 1.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod non debeat aliqua pœnitentia publicari vel solemnizari. Quia non licet sacerdoti, etiam metu, peccatum

tum alicuius confiteri, quantumcunq; publicum. Sed per pœnitentiam solemnem publicatur peccatum. Ergo non debet solemnizari.

¶ 2 Præterea, Iudicium debet esse secundâ conditionem fori. Sed pœnitentia est quoddam iudicium quod in foro occulto agitur. Ergo non debet publicari vel solemnizari.

id habet Aug. lib. 3. hypog. a med. illius, to. 7.

¶ 3 Præterea, Pœnitentia omnes defectus reuocat ad perfectum, vt Ambros. * dicit. Sed solemnizatio facit contrarium, quia pœnitentem multis defectibus innectit: non enim laicus potest post solemnem pœnitentiam ad clericatum promoueri, nec clericus ad superiores ordines. Ergo pœnitentia non est solemnizanda.

SED contra, Pœnitentia est quoddam sacramentum. Sed in quolibet sacramento solemnitas quædam adhibetur. Ergo & in pœnitentia adhiberi debet.

¶ Præterea, Medicina debet respondere morbo. Sed peccatum quandoque est publicum, quod multos ad exemplum peccandi trahit. Ergo & pœnitentia, quæ est medicina eius, debet esse publica & solemnitas, quæ multi ædificantur.

de pœnit. d. 1 c. 86. post med. 17 lib. 5. decr. tit. 38. c. 1.

RESPONDEO dicendum, quod aliqua pœnitentia debet esse publica & solemnitas, propter quatuor. Primo, vt peccatum publicum publicam habeat medicinam. Secundo, quia maxima confusione etiam in hoc mundo est dignus, qui grauissimum scelus commisit. Tertio, vt sit alijs ad terrorem. Quarto, vt ad exemplum pœnitendi; ne desperent qui in gravibus peccatis detinentur.

Ad primum ergo dicendum, quod sacerdos non reuelat confessionem, talē pœnitentiam iniungendâ; quamuis suspicio oriatur illum aliquod enorme peccatum commississe. Non enim culpa pro certo scitur ex pœna *, quia quandoque aliquis pœnitentiam pro alio facit: sicut legitur in vitis Patrum de quodam,

sup q. 13 ar. 2.

qui, vt focium suum ad pœnitentiam prouocaret, publicum eo pœnitentiam egit. Si autem peccatum sit publicum,

blicum, ipse pœnitens exequendo pœnitentiam, confessionem a se factam manifestat.

Ad secundum dicendum, quod pœnitentia solemnitas, quantum ad iniunctionem, non exit forum occultum: quia sicut occulte quis confitetur, ita occulte ei pœnitentia iniungitur: sed executio exit forum occultum; & hoc non est inconueniens.

Ad tertium dicendum, quod pœnitentia quamuis reuocet omnes defectus restituendo in pristinam gratiam, non tamen semper restituit in pristinam dignitatem: & ideo etiam mulieres post peractam pœnitentiam de fornicatione, non velantur: quia dignitatem virginitatis non recuperant. Et similiter post publicam pœnitentiam peccator non redit ad hanc dignitatem, vt possit ad clericatum assumi; & Episcopus talem ordinans, potestate ordinandi priuari debet; nisi forte necessitas Ecclesie id exposcat, aut consuetudo; tunc enim dispensatiue recipitur ad minores ordines, non autem ad sacros ordines. Primo, propter dignitatem ordinum istorum. Secundo, propter timorem recidui. Tertio, propter scandalum vitandam, quod posset in populo oriri ex memoria præcedentium peccatorum. Quarto, quia non haberet frontem alios corrigendi: cum peccatum eius fuerit publicum.

ARTIC. II.

Utrum sollemnis pœnitentia iterari possit?

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod sollemnis pœnitentia iterari possit. Sacramenta enim quæ characterem non imprimunt, cum sua sollemnitate iterari possunt; sicut Eucharistia, & extrema unctio, & huiusmodi. Sed pœnitentia non imprimit characterem. Ergo cum sua sollemnitate iterari potest.

¶ Præterea, Pœnitentia solemnizatur propter grauitatem & manifestationem peccati. Sed post peractam pœnitentiam, contingit similia peccata committere, vel etiam grauiora. Ergo sollemnis pœnitentia iterum debet adhiberi.

SED

† Aug. ep 50 ad Bonifa. & habetur in decret. d 50 c. 59. 26. & ibid c. 56 & 61 & in cōc. Carth. 4. c. 68. & in concil. Agaten. c. 29. habetur in Conc. Tol 2. c. 2 et in dec. dis. 50. c. 70.

109

3. p. 9 80 art. 10.

SED contra, Solemnis pœnitentia significat ejectionem primi hominis de paradiso. Sed hæc tantum semel est facta. Ergo & pœnitentia solemnitas tantum semel debet fieri.

RESPONDEO dicendum, quòd solemnitas pœnitentia iterari non debet, propter tria *. Primo, ne ex iteratione vilescat. Secundo, propter significationem †, quia significat ejectionem primi hominis de paradiso, quæ semel tantum facta est. Tertio, quia solemnitas est quasi quædam professio pœnitentiam perpetuo conseruandi; & ideò iteratio solemnitati repugnat. Si tamen postmodum peccauerit, non clauditur ei locus pœnitentiæ, sed pœnitentia solemnitas iterum ei iniungenda non est.

Ad primū ergo dicendum, quòd in illis sacramentis, in quibus solemnitas operatur, iteratio solemnitas repugnat, vt est in proposito. Et ideò non est simile.

Ad secundum dicendum, quòd quamuis ratio criminis deberetur sibi eadem pœnitentia, tamen solemnitas iteratio non competit, propter prædictas * causas.

ARTIC. III.

Vtrum solemnitas pœnitentia sit imponenda mulieribus, atque clericis?

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd solemnitas pœnitentia non sit imponenda mulieribus. Quia vir, cui imponitur solemnitas pœnitentia, debet comam abijcere. Sed hoc non competit mulieribus vt patet 1. ad Cor. 11. Ergo non debet agere solemnitas pœnitentiam.

¶ 2 Item, Videtur, quòd clericis sit imponenda, quia imponitur propter grauitatem delicti. Sed idem peccatum grauius est in clerico, quàm in laico. Ergo magis debet imponi clerico, quàm laico.

¶ 3 Item, Videtur, quòd à quolibet sacerdote possit imponi. Quia absoluere in foro pœnitentia, est eius, qui habet clauis. Sed simplex sacerdos habet clauis. Ergo potest esse minister huiusmodi pœnitentiæ.

* Aug. ep. 54. ad Macedonium, 10. 2. & habetur de pœn. d. 3. c. 22. & 4. sent. d. 14. S. B. & in decret. d. 50. c. 63. † decret. d. 50. c. 65. * in corp. huius ar. 110 vt patet ex Conc. Agaten. c. 11. & in decre. dist. 50. c. 64.

RESPONDEO dicendum, quòd omnis solemnis penitentia est publica: sed non conuertitur. Penitentia enim solemnis hoc modo fit*: In capite, Quadragesimæ tales penitentes præsentant se cum presbyteris suis Episcopo ciuitatis ante fores Ecclesie, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, coma deposita: & eis in ecclesiam introductis, Episcopus cum omni clero, septem Psalmos penitentiales dicit: & postmodum eis manum imponit, aquam benedictam super eos spargit, & cinerem capiti superponit, cilicio* colla eorum operit, & denuntiat eis lachrymabiliter, quòd sicut Adā eiectus est de paradiso, ita ipsi de ecclesia eiiciuntur: postea iubet ministris, vt eos ab ecclesia pellant, clero eos prosequente cum hoc Responsorio: In sudore vultus tui, &c. In cæna autem Domini quolibet anno a suis presbyteris in ecclesiam reducuntur: & erunt ibi vsque ad octauas Paschæ, ita tamen, quòd non communicabunt, nec pacem accipient: & sic fiet quolibet anno, quousque aditus ecclesie fuerit eis interdictus. Vltima autem reconciliatio reservatur Episcopo, ad quem solum spectat solemnis penitentiae impositio*. Potest autem imponi viris & mulieribus: sed non clericis, propter scandalum. Non autem talis penitentia debet imponi, nisi pro peccato, quod totam commouerit vrbem. Publica autem & non solemnis penitentia, est que in facie ecclesie fit, sed non cum solemnitate prædicta*, sicut peregrinatio per mundum cum baculo cubitali: & hæc potest iterari, & a simplici sacerdote iniungi, & potest etiam clerico imponi. Tamen quandoque solemnis penitentia accipitur pro publica: & secundum hoc, auctoritates quædam varie loquuntur de solemnibus.

Ad primum ergo dicendum, quòd mulier habet comam in signum subiectionis, non autem vir: & ideo non competit vt in penitentia mulieri coma deponatur, sicut viro.

supplementum.

Q Ad

Hac habentur in decret. d. 50. c. 65. incipit, In capite.

Al. capisa.

vt dicit. in decre. d. 50. c. 66

In hoc corp.

Decr. d. Ad secundum dicendum, quòd quamuis in eodem genere peccati clericus plus peccet quam laicus; tamen non imponitur ei penitentia solemnis, ne ordi veniat in contemptum: unde non defertur persona, sed ordini.

Ad tertium dicendum, quòd magna peccata indigent magna cautela ad sui curationem: & ideo in iunctio penitentiae solemnis, quæ non nisi pro gravissimis peccatis fit, soli Episcopo referuatur.

QVÆST. XXIX.

100c. Tri. De sacramento extrema unctionis † quantum ad ipsius essentiam & institutionem, in novem articulos divisa.

ss. 10. de sac. extrema unctionis. cap. 2. Post hæc considerandum est de sacramento extrema unctionis, de quo quinque videnda sunt.

- ¶ Primo, de essentialibus ipsius, & de eius institutione.
- ¶ Secundo, de effectu ipsius.
- ¶ Tertio, de ministro ipsius.
- ¶ Quarto, de eo cui conferri debet, & in qua parte.
- ¶ Quinto, de eius iteratione.
- ¶ Circa primum quaeruntur novem.
- ¶ Primo, utrum extrema unctio sit sacramentum?
- ¶ Secundo, utrum sit unum sacramentum?
- ¶ Tertio, utrum hoc sacramentum fuerit à Christo institutum?
- ¶ Quarto, utrum oleum oliuae sit conveniens materia huius sacramenti?
- ¶ Quinto, utrum oporteat oleum esse consecratum?
- ¶ Sexto, utrum oporteat materiam huius sacramenti per Episcopum consecrari?
- ¶ Septimo, utrum hoc sacramentum habeat aliquam formam?
- ¶ Octavo, utrum forma huius sacramenti debeat proferi per orationem deprecativam?
- ¶ Nono, utrum prædicta oratio sit competens forma huius sacramenti?